IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS

Ego Bartholomeus Dei gratia Laudunensium presul. Cum ecclesia sancti Vincentii terram in loco qui Premonstratus
dicitur que ad propriam mensam episcopi pertinebat, ex dono predecessoris nostri Elinandi episcopi haberet, sicut in privilegio
eiusdem ecclesie continetur, monachi locum illum diu incoluerunt, et post multos labores nullum vel parvum fructum
consequebantur. Id ego attendens, rogavi Adalberonem abbatem et monachos, ut locum supradictum michi libere
concederent quatinus secundum voluntatem meam de eo disponere possem. Abbas autem et monachi petitioni mee assen
tientes, quicquid in illo loco habebant, michi libere et sine contradictione concesserunt. Ego vero non ingratus bone eorum
voluntati concessi ecclesie sancti Vincentii altare de Burriaco in perpetuum salvo synodali iure habendum. Dedi
eis etiam dimidium modium frumenti ad molendinum quod apud villam situm est que Broicurt dicitur. Videns autem
supradictum locum qui Premonstratus dicitur religiosis viris utillimum, fratri Norberto et subditis et posteris eius
libere et sine contradictione in perpetuum concessi habendum. Frater vero Norbertus sicut aliene rei minime
cupidus, penitus noluit recipere, donec Soifridus abbas sancti Vincentii et monachi ei donum illud ei
firmaverunt in capitulo communi assensu. Que vero concessio ne aliquo modo deinceps immutari possit,
impressione nostre imaginis et sigillo sancte Marie Laudunensis ecclesie, et sigillo etiam Soifridi abbatis sancti Vincentii
confirmare curavimus. Signum Bartholomei Laudunensis episcopi. Signum Soifridi abbatis sancti Vincentii. Signum
Symonis abbatis sancti Nicholai de Silva. Signum Widonis decani et archidiaconi. Signum Radulfi archidiaconi.
Signum Blihardi cantoris. Signum Roberti decani sancti Iohannis. Signum Gaufridi cantoris. Signum Roberti prepositi sancti
Martini. Signum Elberti vicedomini. Signum Clarembaldi de Foro. Signum Nicholai castellani. Actum Lauduni in capi
tolio sancte Marie Laudunensis ecclesie. Anno dominice incarnationis M.C.XXI. indictione XIIII. epacta
nulla. concurrente V.

Ego Radulfus Laudunensis ecclesie cancellarius subscripsi.